

nus ait) sed fere caerulei, sulphureum autem colorem quem intelligat, alias explicat, inquit: Fulmina et fulgura, sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est. Est vero caeruleus ille eorum color potissimum in dorso: nam venter lateraque argentea sunt. Totus lineis nigricantibus, obliquis, insignis est: squammisque caret, licet apud Athenaeum squammatum esse quispiam velit, negandi vocula videlicet librariis omissa. Ad cubiti magnitudinem accedit. Sunt *mari peculiares*, et aliquando juxta arenosa littora degunt, saepe in petris, quae chamis et patellis plenae sunt. Esti autem tam in Oceano, quam mari mediterraneo, sinu Adriatico, et Hellesponto, capiuntur: juxta Herculis tamen insulas, prope Carthaginem novam tam copiosi et frequentes sunt, ut una earum Scombraria, teste Strabone, dicatur: In Oceano tanta crassitudine proficiunt, ut pari cum Pelamydibus magnitudine, autore Bellonio, evadant, in Adriatico parvi sunt. Existimavit aliquis in minore maris ambitu frequentes praedas exerceri, ideo non crescere. Vix ad Tergeste ac proximum sinum comparent Scombri: atque ilico capiuntur. In Oceani laxitate fuga moram, mora parit incrementum, ideo grandescunt, quia non capiuntur. *Gregales* * sunt, et a locis † frigidioribus calidioribusque, tanquam Thunni, ut qui imbecilliores, dulcioris pabuli gratia discedunt. *Beneficii* memores esse, Aelianus exemplo singulari, prodidit. Mane a piscatoribus cibati, feras Scombro gentiles suos cogunt, et corporum suorum objectu ita concludunt, ut fuga sibi consulere non possint, hinc capiuntur. *Inserviunt et mensis*. Diphilus leves esse, et facile e stomacho descendere dixit. Hiccius multum nutrire, minus vero facile excerni judicavit viscosiores et crassiores, concoctu difficiles, et excrementitios esse, experientia eos docuit. Venetiis verno tempore, quo pinguiores sunt, in deliciis habentur. Romae ob ficitatem inter ignobiles reposuit. Quia graves et ventriculo

refractarii. *Ταρχυένεθαι*, id est, sale inveterari scripsit Athenaeus, habenturque inter *ταρχύγια* optimi. Veteres ex iis *garum quoddam* habebant, de quo ita Plinius. Est etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garum vocavere, intestinis piscium caeterisque, quae obijcienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur e pisce, quem Graeci Garum appellabant, (ut supra ostendimus.) Nunc e Scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariae caetariis: sociorum appellatur; singulisque millibus nummum permutantibus congios paene binos: Nec liquor ullus paene praeter unguenta majore in pretio esse coepit, nobilitatis etiam gentibus. Scombro quidem et Mauritania, Baeticaque et Carteja ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud utiles: Laudantur et Clazomenae garo, Pompejique et Leptis, sicuti muria Antipolis ac Thurii: jam vero et Dalmatia. Vitium hujus (gari nempe, non muriae, ut Rondeletius vult) est alex, imperfecta nec colata faex. Coepit tamen et privatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, Apuam nostri vocant: Forojulienfes piscem ex quo faciunt Lupum (super quo nostrum judicium supra diximus) appellant. Transiit deinde in luxuriam, creveruntque genera ad infinitum: sicuti garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. Aliud vero ad castimoniarum superstitionem, etiam sacris Judaeis dictum, quod sit e piscibus squamma carentibus (*legendum apparet non carentibus, nam Judaei hodieque nisi squammosos edunt, et non squammosis abstinent, ut duo gari sint genera, unum e squammosis, ut ex Lupo sive Encrasicholo, Maenaeque et Smaride consimilibusque, alterum ex laevi cute praeditis, ut ex Scombris*) hic lex pervenit ad ostrea, urticas, gamma-ros, Mullorum jecinora, innumerisque generibus ad saporem gulae coepit sal tabescere. Haec obiter indicata sint desiderii vitae, et ipsa tamen nonnulla usus in medendo. Hujus usus apud nos desit, apud Turcas Constantinopoli non item: quia pisces plerof-

Scaliger. in
Exercit.

* Aristot. H.
A. l. 9. c. 2.

† Aristot. H.
A. l. 8. c. 12.
et 13.

Plin. H. N.
l. 9. c. 15.

Aelian. H.
A. l. 14. c. 1.

Plin. H. N.
l. 31. c. 8.